



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regula XXIII. Sine culpa, nisi tubit causa, non est aliquis puniendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

presby. cum in filiis paterni, hoc est, hereditarii criminis exempla metuantur, d. l. Quisquis s. filii. Et sic hæc Regula ex alia juris regula attemperatur:

Sine culpa, nisi subfit causa, non est aliquis puniendus, cap. Sine culpa inf. hoc eod. Vide fufius D. Peckium ad præsentem Reg.

REGULA XXIII.

Sine culpa, nisi subfit causa, non est aliquis puniendus.

Hæc Regula simul & exceptionem continet: generaliter enim tradit, neminem sine culpa sua puniendum esse: quod & confirmant textus in c. 1. De constitut. in c. 2. Ext. De his que fiunt à majori parte cap. Et in cap. 5. §. fin. De sent. excomm. lib. 6. & quæ ad superiorem Reg. diximus.

Exceptio est, nisi subfit causa, quæ innoxium puniendum suadet, sicut de filiis reorum Majestatis & Clericorum jam antè meminimus. Quibus addere licet receptos in Monasterium, vel ad beneficium Ecclesiasticum per simoniam: qui licet ignorantés aliorum vitio admissi sint, nihilominus in his & simoniae scelus vindicatur, in maiorem detestationem ejus, cap. De regularibus 5. cum cap. seq. Ext. De simonia, can. Quicumque 1. quæst. 5.

Item, sacerdotem leprâ divinitus percussum, qui & sine culpa sua ab Ecclesiæ administratione removeretur, sed non sine causa, videlicet propter horrorem & scandalum populi, c. 4. Ext. De Clerico agro. His igitur casibus pœna quidem innocentibus porrigitur, sed non sine causa. Quod spectat, quod apud sacros Canones receptissimum est, quod absente altero conjugè, vel adultero, vel infutorem aliam ve infirmitatem actò, nihilominus alteri abstinentum sit ab aliis nuptiis. Causa enim & hic subest, videlicet prioris matrimonii nexus indissolubilis, can. Hi qui cum tribus seqq. xxxii. quæst. 7. cap. fin. §. si autem de carnali in fine & ibi Gl. Ext. Vt lite non contestata.

REGULA XXIV.

Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.

Eadem Regula iisdem ferè verbis prodita est à Paulo J.C. in l. Non videntur s. r. D. eod. tit. Contra verò inquit alia juris Regula. Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit, l. Non potest dolo eod. Exemplum Regulæ nostræ adferri potest ex cap. Si Clericos 15. De sent. excomm. lib. 6. & quod magis Regulam illustrat ex cap. Pastoralis 28. §. quia verò sepè Ext. De offic. & potest. jud. deleg. Ubi ordinarius Judex iustus à delegato Judice tenetur eius sententiam exequi, licet sciat eam esse iniustam: quia necesse habet parere. sicut & text. in l. Si prator 7. §. in princ. D. de judic. Sic & debitor compulsus à Judice, ut minori absque curatoris auctoritate solvat, excusatur; aded ut ne quidem adversus hanc solutionem minor restitutionem petere possit, l. Aut prator 7. §. permittitur D. De minorib. Imò potius in dolo esse præsumitur, qui mandatum Judicis non exequitur, in juxta alteram iuris Regulam, Non potest, iam antè citatam. Quæ tamen ita exaudienda est, nisi iusta causa sit non parendi Judici; puta, si iuberet Judex contra divinum præceptum; obedire enim

oportet Deo magis quam hominibus, can. Si Dominus, can. Iulianus, & can. Qui resistit xi. quæst. 1. aut si contra conscientiam, c. Inquisitioni 44. Ext. De sent. excomm. adhibita ibid. dist. & can. Quid culpam. xxiii. quæst. 1. Quicumque enim sit contra conscientiam, edificat ad gehennam, c. Literas 13. circa med. Ext. De restit. spoliator. Aut si contra expressum ius mandati, cum Judicis factum iuri derogare non possit, l. in fine princ. D. De feriis, l. Nemo 13. C. De sent. interlocut. aut quod ad officium eius non pertinet, nam factum à Judice, quod ad officium eius non pertinet, ratum non est, inquit Paulus in l. Factum à Judice 170. D. hoc tit. c. Quæ fiunt inf. eod. aut quod iurisdictionis suæ limitibus non continetur. Extra enim territorium ius dicenti impunè non pareretur: idem est, & si supra iurisdictionem suam velit ius dicere. Adem Paulus in l. fin. D. De iurisd. om. iud. His certè casibus mandatum Judicis rectè negligitur, in juxta alleg. iura; alioqui ei parendum est, propter publicam auctoritatem, c. 2. cap. 4. §. 5. c. 6. Ext. De maior. & obed.

REGU.